

ANDREAS SAMPERS

« UNICUM » ALFONSIANUM

Libellus contra Febronii errores, Neapoli 1768 impressus

Anno 1763 editus est a Ioanne Nicolao von Hontheim (1701-1790) (1), episcopo coadiutore (2) in Trier (ab an. 1748), sub celato nomine Iustini Febronii, liber cui titulus: *De statu Ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis liber singularis, ad reunendos dissidentes in religione christianos compositus.* Liber prodit Bullioni (Bouillon), quae urbs cum territorio adiacente ann. 1678-1794 principatum sui iuris constituebat (3), ubi saec. XVIII multa scripta edebantur, quae alibi propter censuram civilem vel ecclesiasticam vulgari nequibant (4).

Opus, quod a multis ratione indolis anticurialisticae, et quia favebat independentiae episcoporum contra Summi Pontificis primatum iurisdictionis, magni extollebatur, statim a plerisque aliis, spiritu genuino ecclesiastico ductis, acriter ob eandem rationem impugnabatur (5). Inter primos pugnaces libellos invenitur *Epistula Iustiniani Frobenii ad Iustinum Febronium* (6), sub quo pseudonimo quidam celari credunt Eusebium Amort CRL, eximium theologiae moralis cultorem, a S.o Alphonso magni aestimatorem (7). - Decreto diei 27 II 1764 liber Febronii in Indicem librorum prohibitorum insertus est, et paulo post Clemens PP. XIII epistulas dedit diversis episcopis in Germania, Helvetia et Austria, ad vigilantium eos adhortans, « ne tam pesti-

(1) Notitiae biographicae apud R. RITZLER - P. SEFRIN, *Hierarchia catholica medii et recentioris aevi VI* (1730-1799), Padova 1958, 299-300; etiam in encyclopaedias generalibus, ecclesiasticis, theologicis et biographicis, ubi studia specialia de eius persona et opere indicantur; inter recentiores cfr LThK<sup>2</sup> V (1960) 479-480.

(2) Dicebatur tunc temporis: episcopus suffraganeus (*Hierarchia cath.* VI 299, 453; *Notizie per l'anno 1763*, Roma Chracas, 235); germanice: Weihbischof.

(3) *Dict. d'hist. et de géogr. ecclés.* X (1938) 5.

(4) O.c. 39-42. — Alii tamen putant indicationem frontispicii: Bullioni apud Guillelmum Evrardi, esse fictitiam. J. F. von SCHULTE, *Die Geschichte der Quellen und Literatur des Canonischen Rechts* III 1, reimpresso photomech., Graz 1956, 196: « Der wirkliche Druckort war Frankfurt a. M., der Verleger Esslinger »; ita etiam in *Enc. Ital.* XIV (1932) 924.

(5) Principales libri et libelli contra Febronium scripti enumerantur a VON SCHULTE, o.c. 198 n. 11, ab ORTOLAN in *Dict. de théol. cath.* V (1913) 2122-23.

(6) Cfr von SCHULTE, o.c. 179.

(7) Cfr R. HINDERY, OSB, *The desinterested love of God according to Eusebius Amort CRL, 1692-1775*, Roma 1962, 2 n. 6 = *Dissertatio « Academiae Alfonsiana »*.

lens liber », « fortasse in officina Satanae cusus », in animarum perniciem irreperet (8).

Anno 1765 altera editio operis, « priore emendatior et multo auctior » ab auctore vulgata est, in qua etiam responsum dare conatus est quibusdam adversariis (9). Quia tamen theoriain suam de Ecclesiae constitutione minime mutaverat, oppugnatores non conticuerunt; e contra alii etiam ad certamen litterarium sese accinxerunt. - Haec 2<sup>a</sup> libri editio in Indicem librorum prohibitorum inserta est decreto diei 3 II 1766.

Eo quod opus febronianum interdum etiam in Italia sparsum fuerat (10), citra Alpes quoque adversarii surrexerunt, inter quos magis noti sunt Francisco Antonius Zaccaria SI (11), successor celebris Ludovici Antonii Muratorii tamquam praefectus bibliothecae ducalis in Modena (12), et Petrus Ballerini (13), quorum prima studia in hac controversia ann. 1767 et 1768 vulgata sunt.

Iisdem annis etiam S. Alfonsus, pro sua perspicacia in discernendis periculis et necessitatibus Ecclesiae sui temporis, et maxime animatus zelo defendi et propagandi potestatem supremam et praerogativa Summi Pontificis (14), quandam refutationem operis Febronii exarare cogitavit, uti scripsit editori suo veneto, Ioanni Bapt. Remondini, die 18 II 1768: « Ho pensato di fare un libretto contra Giustino Febronio » (15). Die 3 III eodem editori nuntiavit, se brevi compositionem incipere velle (« penso tra giorni cominciare a lavorarlo »), et libellum minoris molis futurum esse ac in lingua latina (16); et paulo post addidit: « Sì Signore, ora lascio ogni altra fatica

(8) *Bullarii Romani continuatio...* II, Roma 1837, 450 n. 405 (Würzburg), 451 n. 406 (Mainz); etiam vol. III, 1838, I n. 420 (Wien), 16 n. 434 (Basel), 51 n. 453 (Würzburg). - VON SCHULTE, o.c. 198, dicit Clementem XIII unicuique episcopo in Germania huiusmodi Breve misisse.

(9) In appendicibus operis. In appendice 2<sup>a</sup> dantur *Animadversiones Iustiniani Novi in Iustiniani Frobenii [Eusebii Amort? cfr supra n. 6] epistulam ad Iustum Febronium*.

(10) An. 1767 edita est Venetiis apud Bettinelli versio francogallica operis et alia in lingua italica. - Cfr. VON SCHULTE, o.c. 197; G. M[ELZI], *Dizionario di opere anonime e pseudonime...* I, Milano 1848, 66.

(11) *Anti-Febronio... o sia Apologia polemico-storica del Primate del Papa... contra la dannata opera di Giustino Febronio...*; Pesaro, Stamp. Amatina, 1767; 2 vol. in 4<sup>o</sup>. - Cfr DE BACKER-SOMMERVOGEL VIII (1898) 1407 n. 81, et 1409 n. 84, ubi etiam editiones sequentes enumerantur.

(12) In munere constitutus an. 1754, dimissus est an. 1768 et quidem propter odium quod publicatio libri contra Febronium in eum incitaverat. - *Dict. de théol. cath.* XV 2 (1950) 3644; Enc. Catt. XII [1954] 1758-59.

(13) *De potestate ecclesiastica Summorum Pontificum et Conciliorum generalium lib.* Una cum *Vindictis auctoritatis pontificiae contra opus Iustini Febronii...* Accedit *Appendix de infallibilitate eorumdem Pontificum in definitionibus Fidei*; Verona, M. Moroni, 1768; 8<sup>o</sup>, XXIV-306 pp. - *Vindictae auctoritatis pontificiae etiam separatim editae sunt eodem anno 1768, Venetiis et Veronae.*

(14) Cfr studia recensita in *Spic. hist.* 10 (1962) 443 n. 146; etiam D. AMBRASI, *Un autografo di S. Alfonso M. de' Liguori circa l'infallibilità e la superiorità del Papa sul Concilio: Asprenas* 9 (1962) 483-485, cum transcriptio diplomatica documenti inediti, pp. 485-487.

(15) *Lettere di S. ALFONSO III*, Roma [1890], 314.

(16) *Ibid.*, 315.

e tirerò a sbrigare il libretto contra Febronio, e lo farò latino, e già avevo cominciato a stenderlo in latino » (17).

In sequentibus epistulis inter Alfonsum et Remondini mutatis, semel atque iterum de compositione et editione huius libri loquitur. Auctor editori de progressu operis narrat et praesertim maximam reticentiam et occultationem inculcat quoad nomen compositoris, timens molestias a Gubernio neapolitano propter huius spiritum regalisticum et anticuriale: « La prego poi a non nominarmi affatto con niuno come l'autore di questa operetta, perché potrei passare grandi imbarazzi per ragione delle discordie che vi sono al presente fra la Corte di Roma e Napoli; ed anche la prego di laceare questa mia lettera, e di più di raccomandare al suo scrivente che non mi nomini affatto con niuno » (18).

Tantum in epistulis dierum 18 II et 3 III aliquaque mensis martii nomen Febronii datur; in sequentibus liber occulto quodam modo indicatur: « l'operetta che V. S. Ill.ma sa » (19), « l'operetta consaputa » (20), « il libretto contra F. », et rogatur Remondini, ut in suis responsis hoc modo Febronium indicet (21). Talis cautio adhibebatur pro casu, quando epistulae ab aliis interciperentur et inspicerentur.

Postquam editorem die 20 V certiorem reddiderat manuscriptum esse fere terminatum (22), die 28 V Alfonso nuntiavit opusculum esse absolutum, ita ut, facta revisione, post 10-12 dies illud mittere posset, et iam epistulae adiunxit folium cum libri frontispicio, quia manuscriptum mittere intendebat sine titulo, « per giusti fini » (23). Die 1 VI denuo promisit mittere manuscriptum, « nella settimana entrante senza meno ce l'invierò dentro una scatoletta » (24). - Sed circa medietatem eiusdem mensis iunii Alfonso editori scripsit, se opusculum Neapoli cedendum dare velle, eo quod tunc ipse plagulas corrigere posset, et maxime ut evitaret periculum ne manuscriptum periret in via (25). Tantum 8 vel 10 exemplaria typis exprimere vult, non ergo vendendi causa, sed ut exemplar correctum Venetias mittere possit, et si amittatur, aliud semper suppleri queat.

Quamquam in duabus sequentibus epistulis mensis iunii dixit se spem

(17) *Ibid.* 317.

(18) Epistula diei 11 IV 1768. - *Ibid.* 318-319.

(19) Eadem epistula. - *Ibid.* 318.

(20) Epistulae dierum 20 et 28 V 1768. - *Ibid.* 323, 325.

(21) Epistula diei 28 IV 1768. - *Ibid.* 322, 323.

(22) *Ibid.* 323. - « Già sto in fine del compimento dell'operetta consaputa ».

(23) *Ibid.* 325-326.

(24) *Ibid.* 328.

(25) Dies scriptoris epistulae non est indicatus. *Ibid.* 329-330. - « Il manoscritto è così pieno di mille cassature e di mille aggiunte, grandi e picciole, che mi pare impossibile che non vi vengano mille errori, se non lo correggo io che l'ho composto; oltreché, quando io correggo le mie opere, sovra la stampa vi correggo molte altre cose che non avevo corretto sovra il manoscritto... Questo timore di perdere i manoscritti è stato il motivo più forte che mi ha spinto a farlo stampare in Napoli... Mi costerà un poco di spesa, ma pazienza; giacché questa è cosa a favore della Chiesa in questa gran tempesta che passa ».

fovere, quod brevi initium dare posset missioni foliorum impressorum (26), die tamen 6 VII nuntiavit executionem huius consilii differendam esse, id quod confirmavit die 3 VIII (27). - In epistulis posterioribus S.i Alfonsi ad Remondini ne verbum quidem invenitur de opuscolo contra Febronium.

Ex paucis exemplaribus Neapoli impressis *unum* tantum superesse videtur, quod nunc custoditur in collectione operum S.i Fundatoris (X21) in Domo principali CSSR, Romae. Hoc solum exemplar notum est bibliographis (28) et biographis (29), nec nos ipsi in tantis catalogis, bibliographiis, bibliothecis publicis et privatis, quas adivimus per plus quam decem annos, aliud invenire potuimus. Hoc exemplar, constans [IV]-162 pp. (30) in 16° (15.5x9 cm; textus 13x7 cm) (31), a S.o Alfonso m.p. in nonnullis paginis correctum, ca. an. 1779 ab ipso auctore P.i Fabio Buonopane (33) datum est, ut suo tempore id denuo typis describere faceret. Quia hoc tamen P.i Buonopane non successerat, opusculum Rectori Maiori Andreae Villani tradidit, de quo actu sub die 2 XI 1787 instrumentum confectum est, quod infra transscribimus (34).

Credimus ex hoc documento certe et definite sequi, apud Remondini nunquam editionem opusculi esse factam, ita ut omne dubium de hac re penitus tollatur.

J.M.J.

Attesto e fo piena ed indubitata fede, anche con giuramento de more, quatenus opus, io qui sottoscritto Sacerdote della Cong.ne del

(26) *Ibid.* 331 et 332.

(27) *Ibid.* 334: « al presente s'incontrano delle difficoltà ». - *Ibid.* 337: « La mia Dissertazione sopra la spiritualità dell'anima [= libellus contra Febronium], della quale ne ho scritto a V. S. Ill.ma più volte, non la mando ed aspetto via più sicura, perché il mio contraddittore ha molta mano cogli officiali della posta e temo che apra le mie lettere e gli scritti del procaccio ».

(28) M. DE MEULEMEESTER, *Bibliographie générale des écrivains rédemptoristes* I, Louvain 1933, 140-141 n. 74. - Dicitur frontispicium opusculi esse manuscriptum, quod est corrigendum; titulus est impressus: VINDICIAE / PRO / Suprema Pontificis Potestate, ad / versus Justinum Febronium, / OPELLA / AB HONORIO DE HONORIIS / ELUCUBRATA.

(29) R. TELLERÍA, S. Alfonso M. de Ligorio II, Madrid 1951, 338 nn. 80-81.

(30) Pag. [I] frontispicium, vide supra not. 28; p. [II] vacua; p. [III] Index Capitulorum (correctum ex *Indice dei Capitoli*); p. [IV] vacua; pp. 1-9 Finis operis; pp. 9-16r textus, divisus in 9 capitulis (9-25, 26-33, 33-43, 43-65, 65-78, 78-95, 96-122, 123-133, 133-161); p. [162] vacua.

(31) Exemplar involucro membranaceo cooperatum est (vide doc. infra), et occasione conglutinationis folia circumcisa sunt, uti videri est pp. 20 et 61, ubi verba in margine notata partim abscisa sunt. Forma originalis fuit 17x11 cm. circiter.

(32) In ore superiori frontispicium scriptum est: *corretto*. Correctiones factae fere omnes minores sunt: Quaedam verba correcta sunt supervacaneas litteras atramento delendo vel mutando litteras erronee positas vel adiungendo absentes, quaedam interpunctionis signa adiuncta sunt, quadam vice verba deleta sunt (p. 89, p. 44 in textu desumpto ex Conc. I Nicaeno can. 39), quaedam verba in margine adiuncta sunt (pp. 20, 31, 37, 61, 141).

(33) Notitiae biographicae P.is Fabii Buonopane (1740-1796) in *Spic. hist.* 9 (1961) 351 n. 8.

(34) Instrumentum originale conservatur in AG XXVI 25. - Cfr depositionem P.is Buonopane, die 11 VII 1788 datam, in Processu Ord. Nucerino beatificationis S.i Alfonsi, Copia publica in AG, III fol. 1522.

SS. Red.re in Regno, al presente dimorante in questa Casa sotto il titolo di S. Maria della Consolazione della Terra d'Iliceto in diocesi di Bovino, qualmente Monsig.re Nostro Padre D. Alfonso M<sup>a</sup> de Li-guori di b. m. in Nocera de' Pagani verso l'anno 1779 mi consegnò un'operetta in latino da lui composta e stampata, di fogli sette, in 12, pag. 161, intitolata: *Vindiciae pro suprema Pontificis potestate adversus Justinum Febronium.* Opella ab Honorio de Honoriis elucubrata. Qual titolo, come l'indice, sono in due carte prefisse a' detti fogli. Tutta l'operetta, oltre il fine dell'istessa premessovi, è distinta in nove capi, de' quali ne' primi tre con alcuni testi della Sagra Scrittura, nel quarto coi Concilj, nel quinto coi SS. Padri, ne' due in seguito colla ragione dimostrasi la suprema potestà del Sommo Romano Pontefice, finalmente ne' due ultimi si risponde alle opposizioni contrarie e si convince Fébronio di asserire quello che non prova, provandosi i due punti propostisi della suprema potestà pontificia sopra tutta la Chiesa e della di lui infallibilità in materia di fede e buoni costumi e superiorità ai Concilj. Le postille o siano correzioni sono di carattere di Monsig.re, che mi diede detta operetta ligata alla rustica, fattasi da me ligare in carta pecora, li non avendo stimato farne uscire dalla stampa più copie, mi diede tale autografo, acciò l'avessi dato alla stampa di molte copie, quando mi fosse riuscito comodo a farlo, il che finora per varj incidenti non ho potuto, ed a questo fine colla presente rimetto detta operetta al R.mo P. N. Rett.re Mag.re D. Andrea Vil-lani in Nocera.

In fede della verità ho scritta e sottoscritta la presente in Iliceto il dì 2 Nov.e del 178sette.

Io P. D. Fabio de Bonopane del SS. Red.re attesto come sopra &

Che la presente fede sia stata scritta e sottoscritta di proprio ca-rattere del Rev.do Padre D. Fabio de Bonopane del SS. Red.re, a me ben noto, l'attesto io Notar Mattia Palumbo d'Iliceto, richiesto ho segnato

*signum notarile  
subscriptum: Palumbo*